Vir Nobilissime. (361)

Heinsio.

Non distuli, ne momento quidem desultorio, Principi referre, quæ in rem tuam et Academiæ, unà mihi cum Amplissimis collegis Polyandro ac Boxhornio commendata voluisti. Neque ille quidquam de ea re testatus est prolixæ voluntati, quâ te usque amplexum esse, ego testor. Cæterum, quod illicò augurabar evenit. Judicavit Princeps, ex privato rei relatu vel famâ, non videri consentaneum sese literis ut commoveat erga Rempublicam quam designatis et quam nec ipse dubito precibus nostris aut commendationi facilè accessuram: Publico nomine si rogetur, puta Senatus Academici vel Curatorum: tum se libentius dispecturum, quid suis verbis decorè satis et cum fructu præstari possit. Vides Amice, quo loco res sit; nullo, si te negligis, bono, si effectum das quod in tuâ est manu. Meam hîc opellam et ubique commodis tuis addictam et devotam puta, et vale Meum decus. Maldeghem in castris XIV. Jul. CIƆIƆCXLIV.

Boxhornio.

Amplissime ac doctissime Vir. (362)

Non illud æquum est, sed ipsa æquitas, quod postulatis. Vide tamen quid a Principe responsum tulerim, quamquam non detrectet ille quietem Academiæ tueri, et existimationem tanti Collegæ vestri sed hoc, suo modo, procuratum velit. quod ut facilè ominatus eram, nec ipsum te improbaturum arbitror. Omnia ad eum perscripsi, cujus res agitur, quod mihi in præsentiâ rerum moles incumbit, non patitur ad singulos amicos eadem repetere. Affanias meas quod non despexeris tam insigni humanitate tuâ, quam nullo meo merito factum novi. Itaque te non veritatis, ignosce, testem admitto, sed amori et benevolentiæ, quâ me prosequeris, nimis nunc facundum interpretem. Vale Vir Eximie, et hunc errorem tamen errare ne desine. Maldeghem in Castris 14. Julii CIƆIƆCXLIV.

Doctori